

veram habeat probabilitatem non su-
catam: secundo ne altera pene certa,
aut multo sit probabilior cum mi-
tore comparata; tunc enim mentem
multo probabiliori rationi cedere ne-
cesse est. Et idem dicunt innumera-
biles alii docti auctores, prout Epis-
copus Abelly, Episc. Tapia, Episc.
Alvarez, Episc. Ledesma, Episc. An-
gles, Episc. Zerola, Episc. Maldero,
Episc. Tudesco, Archiepiscopus Pa-
normi, Episc. Medina, et antistes Bar-
bosa, Ampliss. Cardinalis Sfrondrati,
Card. Toledo, Card. de Lugo. Præ-
terea Christianus Lupus, et plures
doctores citati in meo opere de usu
moderato opinionis probabilis in mul-
tis locis, uti potest videri in dicto
opere pag. 263.

37. Præfata igitur nostræ senten-
tiæ ratio non est quædam simplex
ratio, sed certum quoddam princi-
pium quod receperunt, et docuerunt
theologi omnes, et præcipue d. Tho-
mas (uti videbimus), scilicet quod,
lex dubia vim obligandi non habet
quia non sufficienter promulgata.
Tunc enim promulgatum erit tan-
tummodo dubium sive quæstio, non
vero lex; quæ, ut sit sufficienter pro-
mulgata, opus est, ut sit proposita et
manifestata ut certa, quemadmodum
superius diximus, et quemadmodum
dicit S. Thomas cum omnibus theolo-
gis, prout videbimus.

38. Evidentes tandem afferamus
probationes, quas a D. Thomæ doc-
trina deprimamus. Docet D. Tho-
mas, quod *lex quædam regula est, et
mensura actuum, secundum quam in-
ducitur aliquis ad agendum, vel ab
agendo retrahitur. Dicitur enim lex
a ligando, quia obligat ad agendum.*
I. 2. qu. 90. art. 1. Docet inde
s. Doctor regulam hanc sive legis
mensuram, ut eam observare teneamur,
debere nobis promulgatione
manifestari: ideoque eadem ipsa qu. 90. art. 4. proponit dubium: *Utrum
promulgatio sit de ratione legis?* et
respondet: *Lex imponitur aliis per
modum regulæ et mensuræ; regula*

*autem et mensura imponitur per
hoc quod applicatur his, quæ regu-
lantur et mesurantur. Unde ad hoc
quod lex virtutem obligandi obtineat,
quod est proprium legis, oportet
quod applicetur hominibus, qui se-
cundum eam regulari debent. Tatis
autem applicatio fit per hoc, quod in
notitiam eorum deducitur ex ipsa pro-
mulgatione. Unde promulgatio ipsa
necessaria est ad hoc, quod lex habeat
suam virtutem. Lex itaque, antequam
promulgatione manifestetur, vim
obligandi non habet. Hinc a D. Tho-
ma definitur: *Quædam rationis or-
dinatio ad bonum commune promul-
gata* I. 2. qu. 90. art. 4. Ergo pro-
mulgatio est adeo legi essentialis, ut
virtutem obligandi habeat, ut ipsa
deficiente, lex non erit obligans,
quemadmodum scribit doctus P. Pe-
trus Collet continuator Tournely, et
rationem affert: *Lex enim, ut obli-
get, debet dari ut regula, ac proinde
innotescere: atqui lex non innotescit
nisi per promulgationem, cum per
eam solam eo intimetur modo, qui
obediendi necessitatem inducit, etc.*
Et consequenter dicit, legem in
legislatoris mente existentem virtu-
tem obligandi habere tantum in actu
primo, scilicet pro tempore que fue-
rit promulgata, sed, ut actu obliget,
opus est ut applicetur et manifestetur
subditis (*debet innotescere*) ut ipsi
possint se illa regulare.*

39. Promulgatio isthæc necessa-
ria est tam in humanis, quam in na-
turalibus et divinis legibus, que-
madmodum docet idem sanctus doc-
tor, qui eodem art. ad I. sibi objicit:
*Sed lex naturalis non indiget pro-
mulgatione: ergo non est de ratione
legis quod promulgetur:* et respon-
det: *Dicendum quod promulgatio
legis naturalis est ex hoc ipso, quod
Deus eam mentibus hominum inse-
ruit naturaliter cognoscendam.* Dicit
naturalis legis promulgationem non
fieri humano modo, signis externis
v. g. per edicta, aut per præconis
vocem: sed naturali lumine, quod

Deus hominum mentibus inserit.
Quod clarius explicat Sylvius scri-
bens, quod *actualiter tunc* (lex natu-
ralis) *unicuique promulgatur, quan-
do cognitionem a Deo accipit dictan-
tem, quid juxta rectam rationem sit
amplectendum, quid fugiendum, in I.
2. q. 9. art. 4. in fin.* Idem scribit
Cardinalis Gotti (*Theolog. tom. 2.
tract. de leg. q. 1. dub. 3. §. 3. n.
18.*) et n. 21. ibidem scribit: *ad hoc
ut lex in actu secundo obliget, re-
quiritur quidem indispensabiliter, ut
subditis promulgatione proponatur.*
Immediate subdens quod *sicut men-
sura in actu secundo non mensurat
nisi mensurabili applicetur:* quem-
admodum mensura nequit actu men-
surare, nisi rei quæ mensuranda est
applicetur, ita lex non potest esse
mensura, et regula hominis, nisi ei
promulgatione proponatur. Idem scri-
bit Dominicus Sotus: *Nulla lex ul-
tum habet vigorem legis ante pro-
mulgationem, sed tum instituitur,
cum promulgatur:* et asserit: *ita-
que nullam exceptionem conclusio
hæc permittit* Quod confirmat P.
Gonet in Clymp. theol. tom. 3, disp.
I. art. 3. n. 57, ubi probare volens
dari posse ignorantiam invincibilem
præceptorum naturalium, quæ a pri-
mis principiis mediante deducuntur,
hoc facit argumentum. *Lex enim
vim obligandi non habet, nisi ap-
plicetur hominibus per promulga-
tionem; sed lex naturalis promul-
gatur omnibus hominibus quantum
ad omnia præcepta quæ sunt re-
motissima a primis principiis; ergo
non obligat omnes quantum ad illa
præcepta. Subindeque potest dari de
illis ignorantia invincibilis, et excu-
sans a peccato.*

40. Esto igitur, quod quando duæ
æque probabiles adsunt opiniones,
lex ex dubia, et uti dubia nequit
obligare, quia tunc lex sufficienter
promulgata non est, sed promulga-
tum tantum sufficienter est dubium,
sive quæstio, an vel ne lex adsit,
ecce principium certum non direc-

tum, sed *reflexum*, in quo senten-
tiæ nostræ fautores collocant certi-
tudinem moralem, præ qua licite
opinionem æque probabilem sequi
possumus.

41. Quod autem certa securitate
agitur, quum judicium certo licet
reflexo principio adhaereat, constat
ex Canonibus, et ex communi theo-
logorum consensu. In *cap. Dominus
2. de secund. nupt.* dicitur, quod si
secundus vir dubitet de morte pri-
mi viri suæ uxoris, conjugale de-
bitum petere non potest, sed requi-
situs tenetur illum reddere uxori
bona fide petenti: *Debitum non de-
neget postulanti; quod a se tamen
noverit nullatenus exigendum,* verba
sunt textus. Qua tamen ratione po-
test vir conjugalem actum adhibere
de primi viri morte dubitans, et
consequenter an illarsit vel ne sua
uxor? Potest, respondetur, ob prin-
cipium certum reflexum, quia quum
et uxor sit in bona fide de secundi
matrimonii valore ipsa possidet, et
jus certum petendi debitum habet,
cujus juris privari non potest præ
viri dubio. Probatur præterea ex
*Can. 4. Quid culpatur caus. 23. qu.
I. ubi D. Augustinus ita docet: Vir
justus, si forte sub rege homini
etiam sacrilego militet, recte potest
illo jubente bellare, si vice* (alias
civica) *pacis ordinem servans, quod
sibi jubetur, vel non esse contra Dei
præceptum certum est, vel utrum sit
certum non est; ita ut fortasse reum
faciat regem iniquitas imperandi
innocentem autem militem ostendat
ordo serviendi.* In dubio igitur an
bellum justum sit, licite subditus
principe jubente bellare potest, et
quomodo? judicio innixo principio
certo reflexo, quod in dubio princeps
jus, ut sibi pareatur, habet: ideo-
que subditus, quotiescumque certus
non est quod bellum sit injustum,
obedire debet: *vel utrum sit* (con-
tra Dei præceptum) *certum non est,*
verba sunt textus.

42. De hoc non dubitant ne ipsi

quidem nostri adversarii. P. Joannes Laurentius Berti asserit non licere sequi opinionem æque probabilem minus tutam. Videamus tamen quomodo id probet. Probat duo principia probabilistarum, quæ et ego pro falsis habui, confutando. Dicunt probabilistæ quidem quod ob duo principia potest quis licite probabilem opinionem minus tutam sequi, et quod ob illa iudicium speculativum dubium redditur in praxi certum. Primum eorum principium hoc est: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Hoc tamen principium, dicit P. Berti, et nos quoque dicimus, non potest probabilis opinionis usum licitum reddere, quia quum opinio contraria tutior sit æque probabilis, tunc nos in dubio remanemus, et moralem honestatis certitudinem necessariam ad bene operandum non habemus: unde operans tunc haud operatur prudenter, sed imprudenter, quum principio nihil certo utatur. Secundum principium est, quod quum opiniones sunt ambæ probabiles, tunc homo potest iudicium cohibere ab opinione rigidioris, et uti opinione benigniore illius probabilitati inhærens. Hoc tamen, quemadmodum sapienter dicit Berti, ne nos quidem certos moraliter reddere potest de actionis honestate; talis enim voluntaria cohibitio iudicii cum ignorantia invincibili imo affectata convincitur, quia homo practice dubium non deponeret, sed affectate in eodemmet dubio de actionis honestate remaneret. Recte igitur concludit Berti, quod quotiescumque nullum aliud de probabilitate opinionis minus tutæ suppetit fundamentum, illa uti non possumus; et ego dico, horum duorum principiorum falsitas a probabilistis adoptatorum, plures modernos scriptores induxit ut sententiam nostram reproberent, et plurimos acquirerent sequaces, penitus non animadvertendo, quod nos præfata falsa principia refellimus, atque indubitato

principio, quod lex dubia obligare non potest, utimur. Secus esset, uti subiungit Berti, quum præter opinionis probabilitatem aliquid certum adesset reflexum principium, quod in praxi nos de actionis honestate certos redderet; quia tunc iudicium nostrum præ principii reflexi certitudine, cui inniteretur, redderetur certum. Adducit exemplum religiosi, qui in dubio an vel ne possit jejunium frangere ut studio vacet, licite potest illud frangere præcepto Superioris, quo certus redditur posse vesci cibis sine peccato. Adducit et exemplum possessoris, qui in dubio an juste fundum aliquem possideat, licite potest in illius possessione perseverare, quando vir doctus ei præstabit, quod aliquam rationem illum possidendi habet, possessor enim (juxta D. Augustini auctoritatem, quam idem Berti refert) non tenetur expoliare se re legitime possessa, nisi illam suam non esse certo sciat; hoc enim jus dat legitima possessio. Hinc P. Berti generaliter concludit his verbis: *Proculdubio potest hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexæ fieri iudicium practicum moraliter certum.* Non dubitat itaque Berti quod in praxi recte efformari potest ultimum dictamen moraliter certum in opinionibus dubiis non solum præ principii directis, sed etiam præ indirectis et reflexis. Quod certam reddit sententiam nostram, quæ principio evidenter certo innititur, uti probavimus, et uti magis magisque demonstrabimus, legem nempe dubiam, quia non sufficienter promulgata, obligationem certam inducere non posse.

43. Idem effatum quod tenuit Berti, sequuntur domini Ballerini in libro inscripto *Moral. action. regulæ, etc. seu, Questio de opinion. prob.* qui quamvis moderati sint rigidæ sententiæ sectatores, laudatam tamen doctrinam confirmant dicentes: *Quod in praxi ex directis*

principiis minime certis incertum est, ex certo reflexo principio sit omnino certum; et probant peculiariter exemplo quod nos adduximus n. 41. in cap. Dominus, uxoris bona fide debitum petentis: et sequentia verba subnectunt: *In his omnibus exemplis observandum est, reflexa principia particularem questionem non solve- re, sed incertum relinquere, sola praxis certa est, eo quod principia reflexa praxis in eo dubio dirigendæ, certam regulam figant.* Et idem scribit P. Gonet pro certo; *Manual. tom. 3. tract. 3. c. 16. circa fin.*

44. Videamus tandem quid aliud docet D. Thomas qui nostræ sententiæ fidem accrescit. Ipse in *opuscul. de veritate, qu. 17. art. 3.* docet quod, *nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientia illius præcepti.* Scitur quod scientia importat certam alicujus rei cognitionem. Et ut intelligatur quod D. Thomas nomine scientiæ certam intelligit cognitionem, animadvertere oportet quæsitum quod eodem in loco proponit: *Utrum conscientia liget?* et hoc modo ratiocinatur: *Ita se habet imperium gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti: sicut antea in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum; ita in spiritualibus, nisi per scientiam.* Similitudo hæc D. Thomæ non potest esse neque clarior, neque convincentior, ut principium nostrum, quod lex incerta certam nequit inducere obligationem, comprobetur.

Dicit Sanctus, quod scientia præcepti est ad instar cujusdam funis, quæ voluntatem ligat, et quemadmodum ut res materialis ligetur, oportet ut actu ei applicetur funis, quæ eam liget, et cogat, ita ut voluntas hominis ligetur ut illam faciat actionem, aut ab ea actione absteat, oportet, ut præcepti scientiam habeat, alias homo liber remanet. Itaque quando homo remanet in dubio utrum adsit vel ne præceptum, uti evenit, quum adsunt duæ opiniones æque probabiles, tunc utique non habet scientiam præcepti; ideoque illam, quam mavult, opinionem sequi potest.

45. Idem alibi declarat D. Thomas, scilicet I. 2. q. 19. art. 10. ubi quærit: *Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinæ in volito, ad hoc ut sit bona?* Inde eodem articulo 10. ad I. sibi objicit: *Videtur quod voluntas hominis non debeat semper conformari divinæ voluntati in volito; non enim possumus velle quod ignoramus... Sed quid Deus velit ignoramus in pluribus: ergo non potest humana voluntas divinæ voluntati conformari in volito.* Et respondet: *Ad primum dicendum, quod volitum divinum secundum rationem communem, quale sit, scire possumus: sci- mus enim quod Deus quidquid vult, vult ad rationem boni. Et ideo quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinæ quantum ad rationem voliti.* Itaque homo quotiescumque vult aliquid sub aliqua ratione boni conformat se divinæ voluntati. Subdit postea D. Thomas id quod pro nobis maxime facit: *Sed in particulari nescimus quid Deus velit; et in quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem divinæ voluntati.* Ergo non tenemur conformare nos voluntati divinæ in particulari, et peculiariter quoad præcepta, quotiescumque isthæc divina voluntas nobis non innotescit,

quemadmodum distinctius declaratur a P. Gonet in hæc verba: *Homine non tenetur conformari voluntati divinæ in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto, vel prohibitione manifestatur. Gonet in Clyp. t. 3. tr. 3. D. 6. art. 2. n. 37. in fin.* In dubio itaque alicujus præcepti, quo Deus nobis præcipiat, aut prohibeat aliquam actionem in particulari, non tenemur divinæ voluntati conformari, nisi postquam voluntas divina nobis sit manifestata, alias, ut dicit Gerson, quando Deus nobis suam non manifestat voluntatem, non potest nos obligare. *Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei, nam per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creature imponere obligationem. Gerson de vit. spir. animæ, tom. III. lect. 2.*

46. Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 4. ubi quærit: *Utrum in omnibus Deo sit obediendum?* Respondet affirmative, sed ad 3. sibi objici: *Quicumque obedit Deo, uniformat voluntatem suam voluntati divinæ etiam in volito; sed non quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinæ ut supra habitum est (1. 2. q. 19. art. 10. qui locus ille est quem adduximus superius), ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.* Et respondet: *Ad tertium (qu. 104. supra cit.) dicendum, quod etsi non semper tenetur homo velle quod Deus vult; semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle, et hoc homini præcipue innotescit per præcepta divina.* Homo itaque tenetur obedire Deo, et conformare se divinæ voluntati circa præcepta, non in omnibus quæ Deus vult, sed tantum in illis, quæ Deus vult nos velle. Quo tamen pacto sciemus quod Deus non solum vult, verum etiam vult nos velle? Sciemus, inquit D. Thomas, quando nobis innotescit per præcepta divina. Non satis est igitur

dubia præcepti notitia, ut obliget nos ad observandum illud tamquam voluntatem Dei, sed necessaria est cognitio certa et manifesta, quod procul dubio significat verbum illud innotescit.

47. Hinc perspicitur quod Sanctus Thomas semper fuit uniformis docendo legem debere esse certam, ut ad suam nos obliget observantiam. Dixit promulgationem legis naturalis tunc fieri, quando Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 4. ad 1. dixit cognoscendam; ergo homo tunc tenetur legi obedire, cum eam lumine cognoscit naturali, non vero cum de illa dubitat. Præterea dixit, hanc legis cognitionem (quam vocavit mensuram, quia cum illa debet homo suas actiones mensurare) debere esse certissimam, ut hominem ad legis obliget observantiam: *Mensura debet esse certissima 1. 2. q. 19. art. 4. ad 3.* Dixit amplius quod quemadmodum funis non ligat nisi contactu applicetur, ita nullus ligatur per præcepta, nisi mediante scientia illius præcepti. *Opusc. de verit. qu. 17. art. 3.* Dixit hominem tunc tantum teneri obedire voluntati divinæ, cum hæc divina voluntas ei per præcepta manifestatur: *Et homini (quod Deus vult) præcipue innotescit per præcepta divina; 2. 2. q. 104. a. 4. ad 3.* Significationes istæ itaque D. Thomæ scilicet quod lex ut obliget, debet esse cognita, quod nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientia illius præcepti; quod lex debet esse certissima ut obliget quod non tenemur conformare nos voluntati divinæ, nisi quando illa nobis per præcepta innotescit: nil aliud denotare possunt, quam quod lex non obligat nisi quando cognoscitur, nisi quando est certissima, nisi quando habetur scientia illius, et nisi quando promulgatur.

Hoc quod docet D. Thomas comprobatur a pluribus Sanctis et docto-

ribus. D. Isidorus dicit: *Erit autem lex manifesta. In Can. Erit autem dist. 4. S. Raymundus scripsit: Non sit pronus judicare mortalia peccata, ubi non tibi constat per certam scripturam, lib. 3. de pen. §. 21.* D. Antoninus asserit: *Quæstio in qua agitur utrum sit peccatum mortale, nisi ad hoc habetur auctoritas expressa Scripture, aut Canonis Ecclesie, vel evidens ratio, periculosissime determinatur. S. Ant. p. 2. tit. 1. cap. 11. D. 28.* Et rationem adducit dicens, quod qui in dubio determinat esse mortalem quamdam actionem, de qua prudenter dubitatur, an sit mortalis, ædificat ad gehennam, scilicet exponit periculo damnationis illum qui eam faceret actionem. Idem scripsit Joannes Nyder citando quoque Bernardum de Claramonte. *Ex quo enim opiniones sunt inter magistros, et Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quam voluerit. Nyder in Consol. Av. par. 3. cap. 20.* Sic quoque scripsit Gabriel Briel anno 1480. dicens: *Nihil debet damnari tanquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripture. In 4. sent. D. 16. 4. concl. 3. scripsit Lactantius: Stultissimi hominis est præceptis eorum velle parere, quum utrum vera aut falsa sint dubitatur. Lib. 5. instit. quæ cap. 21. In cap. 13. Cum jure de offic. et pot. jud. de legib. dicitur: Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogis quod mandatur. Dominicus Sotus loquens de lege, dicit, quod ut ipsa obliget, quum debet esse regula nostrarum actionum, necesse est, ut homo intueatur eam, scilicet ut clare eam cognoscat; Qui regula utitur, eam intueri necesse est. De just. lib. 1. qu. 1. art. 4. Ita demum scripsit Benedictus XIV., in suis notificationibus (notif. 13). Non debent imponi vincula, cum non adest manifesta lex, quæ illa imponat.*

§. II. Respondetur ad objecta adversariorum, et ex responsionibus magis sententia nostra elucebit

49. Nolo quædam non diluere objecta adversariorum: immo diluere lubet; ex responsionibus enim sententiæ nostræ certitudo magis magisque elucebit. Incipientes ab oppositione illa quæ responsionem requirit prolixior.

50. Objiunt 1. minime dubium esse etiam leges divinas ac naturales opus habere promulgatione ut obligent; dicunt tamen naturales leges fuisse ab æterno promulgatas, et usque ab æterno vim perfectam obtinuisse obligandi hominem, vel antequam existeret, quippe quia lex naturalis participatio quædam est legis æternæ, quod quidem auctor deducere autumat a quibusdam D. Thomæ verbis, quibus ipse D. Thomas pro nobis respondet, uti postea videbimus. Angelicus (1. 2. qu. 91. a. 1 ad 2.) dicit, quod lex æterna æternam habet promulgationem ex parte Dei promulgantis. Ego tamen quæro: Quænam promulgatio divinæ legis illa est, quæ obligat homines, promulgatio ex parte Dei, an promulgatio ex parte creaturæ? D. Thomas uti superius diximus §. 1. n. 39. docet, quod lex non habet vim obligandi, nisi promulgatione hominibus applicetur: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4.* Et oppositioni (ad primum) dicit, quod lex quoque naturalis opus habet promulgatione, hæcque fit cogitatione legis, quam Deus mentibus hominum inserit lumine naturali: *Dicendum quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendum. Et idem docet S. Doctor in loco ante citato ab adversario, ubi*

postquam dixit, quod lex æterna æternam habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, immediate subdit: sed ex parte creature audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio æterna. Cit. a. 1. ad 2. Promulgatio itaque quæ obligat, fit quando creatura cognoscit præceptum lumine rationis, aut illud audit ab Ecclesia, vel a sapientibus, qui eam docent.

51. Id clarius explicat D. Thomas in alio loco (1. 2. qu. 91. a. 2.) ubi dicit: *Lex, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato, et mensurato: quia in quantum participat aliquid de regula sic regulatur. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.* Angelicus igitur asserit quod cum lex quedam regula sit, qua debet se homo regulare, alio modo consideratur in legislatore regulante, alio in homine regulato. Itaque dicit D. Thomas, quod quemadmodum aliquid homo participat de lege naturali, quæ est unica ejus regula, ita actiones suas regulare debet. Antequam igitur hoc lumen præ lege naturali recipiat, ad nihilum obligari potest, quia nondum recepit regulam qua se regulare possit. Itaque lex æterna regula est pro Deo regulante, sed pro homine qui regulandus est, regula est lex naturalis, lumen scilicet illud, quod naturali ratione ei manifestatur.

52. Hinc theologi communiter, et jure dicunt, legem æternam non esse proprie, legem sed esse instar legis, et, ut ita dicam, est lex et regula pro ipso Deo, et si vult vocari promulgata, est quedam lex a Deo sibi ipsi promulgata. Hoc modo loquitur Du Vallius, qui scribit, legem æternam, tunc proprie habere rationem legis, cum hominibus manifestatur; inde subdit: *Si tamen ab æterno spectetur, dicendum est eam non esse vere et proprie legem, sed tantum aliquid*

quod se habeat instar legis: tum quia de ratione legis est, ut promulgetur subditis: nulli autem fuerunt subditi ab æterno; tum quia lex essentialiter est regula quedam practica, hæc autem regula non potuit imponi Verbo et Spiritui Sancto, quia ipsimet sunt regula et rectitudo ipsa. Du Vallius 1. 2. S. Thom. de leg. q. 2. p. 293. Et ita quoque dicunt Montesinus, et Jodochus Lorichius doctor Lovanii Montesinus dicit legem æternam non esse legem nec regulam pro nobis, sed tantum pro Deo ipso sibi promulgatam: *Respondeo hujusmodi legem æternam promulgatam esse ab æterno ipsimet Deo, Deus sibi est lex et regula: et ita intelligimus Deum sibi promulgare legem.* Montesin. D. 20. de leg. q. 4. n. 83. Lorichius Thes. novus utr. Th. verb. lex, n. 6. de eadem æterna lege edisserens scribit: *Hac lege Deus omnia ordinat ad seipsum, et est promulgata apud ipsum ab æterno; hominibus autem promulgata, quando eis innotescit.*

53. Quando igitur quæritur, an obliget homines lex ista? Respondet Du Vallius, quod tunc obligat, cum homo ad discretionis annos pervenit, quia tunc lumine naturali lex illi promulgatur: *tunc autem sufficienter (legem) promulgari, quando quisque annos discretionis incipit* 1. 2. de leg. q. 3. a. 3. Et pag. 296, subdit, quod lex æterna nobis manifestatur per legem naturalem, quæ est illius participatio: *Dico eam per alias leges nobis innotescere, cum leges illæ sint illius participationes.* Non secus scribit prælaudatus Montesinus disp. 20. de leg. q. 4. n. 85. *Lex naturalis promulgatur in unoquoque, dum primo venit ad usum rationis; et quamvis pro tunc solum promulgetur ista lex quantum ad principia communissima juris naturæ, tamen postea paulatim per discursum promulgatur eadem lex quantum ad alia.* Non dissentit Petrus de Lorca Cisterciensis, immo subjungit, cognitionem legis essentialem esse atque intrinsecam,

tam legibus humanis, quam naturalibus. Lorca in 1. 2. S. Thomæ D. 6. de leg. Idem scripsit Joannes Major: *Cum primum aliquis habet rationem, legem naturalem habet.* In 3. dist. 27. q. 2. Ita quoque scripsit Conradus Keltin e divi Dominici familia. *Cum venerit (homo) ad usum rationis, tenetur ad ea, quæ sunt legis naturæ.* In 1. 2. q. 90. art. 4. Idem scripsit P. Mantrius theol. moral. D. 2. de leg. q. 2. a. 2. n. 34. *Hoc autem jus (naturæ) hominibus intimatur, et obligare incipit ab eo tempore, quo rationis usum accipiunt; et per talem legem sibi intimatam inter bonum et malum discernere incipiunt; hic enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio et manifestatio.* Et hoc intendit Paulus (Rom. 7. 9.) illis verbis, *Ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum peccatum revixit.* Sic quoque sensit Joannes Granado (ignoscat quilegit si tot theologorum textus idem dicentium in medium afferro, hoc enim mihi est perquam necessarium, ut adversarii mei atque alii sibi persuadeant, theologos omnes uniformiter locutos fuisse contra id quod mihi mei objecerunt adversarii); scribit Granado: *Dicendum est legem naturæ consistere in illo dictamine rationis;... Nec deest promulgatio, eo enim ipso quod homo perveniat ad usum rationis, potens est discernere honestum et malum.* Contr. 6. de leg. trac. 2. D. 4. n. 7. Idem scripsit Blasius de Benjumea: *Cum lex naturæ debeat voluntati proponi, ad hoc ut habeat vim obligandi, et rationis dictamine possit præcognizative promulgari; ipsa præcognizatio intellectus notificat obligationem faciendi sive omitendi aliquam actionem, etc.* De leg. q. 2. art. 2. n. 220.

54. Hinc concludunt reliqui omnes theologi legem æternam, licet in actu primo habuit virtutem obligandi, nihilominus neminem obligasse antequam promulgata fuit atque appli-

cata. Ad rem facit quod scribit Cardinalis Gotti: *Sequitur, quod lex æterna ab æterno in actu secundo neminem obligaret.* Et subjungit, quod quamvis illam virtutem obligandi habeat, at tamen nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata. Theol. tr. de legibus q. 2. dub. 1 n. 13. Hanc nimis claram rationem adducens, quod mensura in actu secundo non mensurat, nisi mensurabili applicetur. Idem scribit Franciscus de Aravio: *Cum lex æterna non obliget creaturas, nisi mediante lege naturali, vel positiva divina, ad istarum promulgationem illa quoque sufficienter promulgatur.* In 1. 2. q. 96. D. 1. sect. 5. pag. 525. Ita quoque tenet Honoratus Tournely, dicens: *Quia tamen lex ante creaturarum existentiam vere obligans non fuit, cum nihil esset ad extra, quod ea obligaretur, palam est rationem completam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creature, quibus fuit lex promulgata.* Prælect. theol. tr. de leg. c. 2. concl. 5. Eodem modo scripsit P. Collet: *Quia tamen lex æterna ante creaturarum existentiam obligans non fuit, palam est rationem plenam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creature, quibus intimata fuit.* Thom. 2. de leg. c. 2. pag. 17. Hinc scripsit Joseph Rocafui. præpositus Valentiniæ: *Quamdiu (lex æterna) non promulgatur per modum legis, semper se habet per modum propositi ferendi legem, non autem per modum legis latæ.* Praxis, et. 1. 2. c. 1. P. Berti scripsit legem æternam non fuisse legem obligantem, sed paratam obligare in tempore, quo hominibus promulgaretur: *Nos per promulgationem nihil aliud intelligimus, nisi parata jam legis promulgatione æternam legem institutam dicimus ante tempora secularia promulgatam vero in temporum conditione.* Quod explicavit verbis illis dicens quod *lex æterna fuit ab æterno solum vim habitura in rerum creatura.*

rum conditione; ita ut tunc vim obligandi habere deberet, cum fuisset creaturis promulgata.

55. Denique theologi omnes sentiunt, legem æternam non fuisse legem obligantem, nisi postquam fuit promulgata: ut scribit Franc. Sylvius: *Lex æterna fuit ab æterno lex materialiter, non formaliter, seu sub ratione legis actualiter obligantis, quia tunc non fuit actualis et perfecta promulgatio. In 1. 2. q. 91. a. 1. ad 2.* Convenit quoque P. Gonet. *Legem æternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab æterno. In Clys. tom. 3. tract. 6. de leg. D. 2. art. 2. n. 49.* Facit quod scribit Loricus: *Homines autem (lex æterna) promulgatur, quando eis innotescit. Thesaur. Verb. lex. n. 6.* et lubet hic repetere quod scripsit Dominicus Sotus: *Nulla lex ullum habet vigorem legis ante promulgationem; nullam exceptionem conclusio hæc permittit.* Dicit enim legem, quam sit nostrarum actionum regula, regulam nobis esse nequire, nisi nobis applicetur et manifestetur: *Applicari autem nequit (lex) nisi per ejus notitiam, nam qui regula utitur, eam intueri necesse habet. Solus de just. lib. 1. q. 1. a. 4. q. 3. a. 2.* Colligamus ergo. Theologi, omnes, ductore D. Thoma, sentiunt, legem æternam, quamvis in actu primo vim in se habuerit homines obligandi actualiter tamen in actu secundo obviare non potuisse, nisi postquam hominibus lumine rationis naturalis fuerit promulgata. Hinc repetere opus est doctrinam Joannis Gerson dicentis, *Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei, nam per solum suam ordinationem, aut per solum suam voluntatem nondum potest Deus absolute creature imponere obligationem. De vita spir. tom. III. lect. 2.* Et Franciscus Henno scribit legem naturalem non distinguere a lege æterna, sibi ipsi tamen objicit. Promulgatio est essentialis legi, sed lex naturalis fuit tantum in

tempore promulgata, ergo solum in tempore incepit esse proprie lex, et consequenter ab æterna lege distinguitur: respondet vero: *Fuit ab æterno lex natura potens obligare, licet non obligaverit antequam promulgaretur in tempore per dictamen rationis. Et idem est de lege æterna; unde sicut non fuit lex æterna obligans ab æterno, sed in tempore (scilicet quando fuit manifestata); ita et lex naturæ. Henno de lege; sed sermone progrediamur.*

56. Objicitur 2. Ergo homo nascitur liber? non subditus et dependens a Deo? Non equidem. Homo nascitur subditus et dependens, et devinctus parere præceptis omnibus, quæ ei Deus imponit: ut vero hujusmodi præcepta eum ligent, debent ei applicari actuali præcepti promulgatione, quæ fit cum ei præceptum rationis lumine manifestatur; usque dum vero præceptum ei non manifestatur, homo possidet libertatem et a Deo datam, quæ quum certa sit, non remanet, nisi a certo præcepto, ligata.

57. Si unquam homo nasceretur legi æternæ devinctus (quemadmodum quidam meus adversarius credit) antequam ei illa manifestaretur, ita ut nullas alias actiones facere posset, nisi illas, quas ei lex æterna permitteret, necessarium non fuisset, quod Deus homini præcepta sua denunciasset impressione luminis naturalis et lege scripta: sed ei declarare debuisset tantum illa, quæ ei permittebat. Poterat, haud inficior, Dominus jubere, quod homo nil aliud facere posset, nisi illud, quod ei expresse permisisset; sed non ita fecit: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, Eccli. 15. 14. et seqq.* Ergo antea Deus creavit hominem liberum, donando ei libertatem juxta id, quod scripsit Apostolus... *potestatem habens suæ voluntatis. 1. Cor. 7. 37.*

Postea adjecit mandata quæ observare debet, et ex observantia hujusmodi præceptorum Dominus salutem hominis constituit. Ut vero quis ab hujusmodi ligetur præceptis, dicit D. Thomas, quemadmodum superius innumimus, quod debet habere scientiam, idest, certum eorum cognitionem: *Nullus ligatur per præcepta nisi mediante scientia illius præcepti. De verit. qu. 47. art. 2.* Quum, enim lex sit quædam mensura, qua se homo regulare debet, dicit si Doctor, eam debere esse certissimam: *Mensura debet esse certissima. 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3.* secus si mensura esset dubia, nemo bene se regulare posset. Quod pluribus aliis in locis D. Thomas comprobavit dicens, *illum, cui divina voluntas non innotescit, non teneri eam sequi: Sed in particulari nescimus quid Deus velit: et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem divinæ voluntati. 1. 2. q. 19. art. 10. ad 1.* Et loquens præcise Sanctus de obedientia quam divinis debemus præceptis, dicit, quod nos non tenemur eis parere, nisi postquam nobis manifesta fuerit, prout demonstratum est n. 47.

58. Objicitur 3. hominem non posse licite exponere se periculo legem violandi: cum adsunt duæ equo probabiles opiniones, tunc jam dubitatur an lex adsit. Quapropter si tunc homo opinionem minus tutam sequitur, jam se conjicit in periculum legis violandæ. Respondetur, distinguendum esse inter casum, in quo lex certa est, et casum, in quo lex est dubia; haud inficior peccare illum qui se exponit periculo legem violandi; id vero intelligitur cum lex est certa, et tunc locum habet textus ille: *Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3. 27.* Tali enim casu lex non solum ad suam observantiam obligat, verum etiam ne nos probabili periculo eam violandi exponamus. Secus est quando periculum est tantum violandi legem dubiam, quia tunc, etiamsi ante Deum lex existe-

ret, violaretur lex non obligans; et lex non obligans non potest vocari lex; nam dicit D. Thomas (1. 2. q. 90. a. 4.) quemadmodum diximus §. 1. n. 39. quod lex ut mensura actionum hominis, debet ei promulgatione applicari, et postea subdit: *Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis oportet quod (promulgatione) applicetur.* Notetur illud, quod est proprium legis. Ergo lex quæ virtutem obligandi non habet, neque est, neque dici potest proprie lex: et ideo qui violat legem aliquam nondum manifestatam, uti evenit in casu duarum æque probabilium opinionum, nunquam dici potest illum peccare, quia quamvis lex adesset, contra legem operat non obligantem ideoque non potest ei id ad culpam imputari.

59. Objicitur 4. quædam s. Thomæ doctrina dicentis, ignorantia illius qui potest et debet scire legem, quam sit voluntaria, non excusatur a culpa: *Dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire et debet s. Thom. 1. 2. q. 6. a. 8.* Hinc deducunt adversarii, quod quotiescumque homo potest et debet scire præceptum, quamvis nunquam, ne in confuso quidem, præceptum consideraverit, ejus ignorantia est vincibilis et culpabilis; in hunc modum loquitur anonimus modernus libri inscripti *Regula bonorum morum.* Sed quo modo, ego sciscitor, potest scire præceptum ille, cui nunquam venit in mentem hujusmodi præceptum existere posse? Quid hoc? dicunt adversarii; homo enim, quotiescumque est cum mente non infirma, nisi moralem; physicam saltem potentiam habet ut possit præcepta considerare, ideoque semper est in culpa. Non tamen ita alloquitur d. Thomas, qui una cum d. Augustino et theologis omnibus probabilistis atque antiprobabilistis docet, quod quotiescumque ignorantia est involuntaria, a peccato excusat. Sanctus doctor sexcentis in locis hoc probat. Dicit pri-